

si communis servus ff. de stipul. servorum: textus in leg. ita liber esse iustus, ff. de statu liber. & utrobique communiter Doctores.

43. Si legatarius emit rem legat. ab hered.

Item quæro si testator legavit, vel per fideicommissum reliquit alteri rem porè in diem, vel sub conditione, & legatarius, vel fideicommissarius emit eam ipso hæredo gravato, vel consentit tacite vel expresse, quod alter emerit, an sibi præiudicat, ut non possit petere legatum, vel fideicommissum, nec pretium ejus: Vide textum, & ibi omnino Doctores in leg. fundum per fideicommissum, ff. de leg. 1.

44. Si testator destitit rem que petat, &c.

Item quæro, si testator fecit legatum, & destinavit, undè solvetur, & res destinata solutioni pereat, vel sit minoris, an debeatur legatum vide text. in l. quidem testamento de leg. 1. & ibi Doctores. Item adde quod si testator instituit plures hæredes, Titio legavit centum, & alium ex hæredibus eximit à præstatione & solutione legati, dicendo quod nihil de eo solvat: quod alii cohæredes tenentur integrum legatum, & sic tota centum solvere: non verò suas partes tantum, ut portionem hæredis non teneatur subire: text. est in leg. ab omnibus, ff. de leg. 1. & ibi notat & commendat Glossa ordinaria Bart. Alber. Bald. Angel. Paul. Imol. Ex quo inferitur, secundum eos, quod si civitas, vel villa tenetur emendare damnum, vel teneatur ad aliquod onus & aliquis civis ex privilegio ipsius domini, vel aliis sit exemptus à solutione prædictorum, alii cives tenentur solvere totum damnum, onus, vel debitum, etiam pro portione alterius exempti, tanquam si non esset civis, vel in rerum natura. Contrarium tamen expresse tenet Spec. in tit. de censibus, §. nunc. vers. quod si universitas; & Joan. Andr. in cap. non minus, de immun. Ecclæs. Guillem. in leg. si unus, §. & generaliter, ff. de pact. quos refert & sequitur Paul. in dict. leg. ab omni, & ibi Cuman. & alii Doctores. Imò, quod deducitur pars illius, & illi tenentur eam fovere: quia in eorum præiudicium non potuit eum dominus vel superior eximere. Sed prima sententia & opinio est vera & commun. tenenda quia sicut testator potuit unum ex hæredibus eximere à præstatione, & alios gravare, propter commodum hæreditatis sibi relicta: ita dominus super ratione iuris, quod habet in subditos, & ratione, quod habet, territorii, & habet rationis sibi concessæ potuit aliquam eximere, & alios gravare.

45.

Item quæro, si testator dixit, quod Titius amicus accipiat decem, & manumittit servum suum vel talem rem suam præter Scio, an illa decem debent solvi ab hærede, vel ab ipso servo, vel legatario, cui libertatem, vel aliquas res reliquit? & breviter & resolutivè dico, quod debent solvi, & præstari ab hærede, licet fortè quilibet contrarium diceret: text. est singularis & unicus in leg. si servus legatus §. qui margaritam, vers. nam cum in testamento ita scribitur, ff. de legat. 1. cujus verba sunt: Cum in leg. testamento ita scribitur, rogo te Titi, ut accipias centum illum servum manumittas, vel Sempronio quid præstes, parum aperte scribit: verum æquè intelligendum est hæredis fideicommissum, ut pecuniam Titio præstet: & ad hoc notat & commendat ibi Bartol. Alber. Bald. Paul. Imol. Rapha. Cum. Alexand. & communiter Doctores. Idem Bart. in leg. quidam relegatus, ff. de reb. dub. Bald. & Moderni in l. 1. ff. de pact. 1. Idem

Bald. & Moderni in leg. stipulatio ista, §. si quis ita, ff. de verb. obligat. Alexand. in leg. acceptis ff. de leg. Falc. 1. column. num. 6.

Ex quo notabiliter inferas, quod licet impersonalitas, vel incertitudo in verbo dispositivo, ex parte debitoris, semper vitiet actum, & dispositionem; ut in authent. ut cum de appell. cognos. §. ad hoc coll. 8. & in authent. si quando ver. in autem, Cod. de constit. pecun. tamen illud debet intelligi in contractibus: secus autem est in ultimis voluntatibus, quia in eis talis impersonalitas, five incertitudo persone non vitiat dispositionem: quia semper intelligitur hæres gravatus, & obligatus præstare, & ad hoc illud textum reputat singularem & unicum Bald. in d. authent. si quando, Cod. de constit. pecun. 1. colom. in fine. Alexand. in leg. fin. §. fin. ff. si cert. per. 2. column. num. 2. & ibi Jafon, & Philippus Docius, faciunt etiam text. in leg. acceptis, ff. ad leg. Falcid. secundum Alexand. ibi & Doctores ubi supra, textus in l. fin. Cod. ad Trebell. quem allegat Bart. in d. l. quidam relegatus, text. etiam in leg. Titius hæres, de leg. 3. Et adde quod idem est, quando legatarius, vel fideicommissarius gravatur per testatorem aliquid dare, & non dicitur cui: quia tunc intelligitur, quod detur hæredi, vel hæredibus pro rata, text. est notabilis in leg. qui pecuniam, ff. de statu liber. cujus verba sunt: Qui pecuniam dare iustus est, nisi adjectum sit, cui det, debet hæredibus dare pro partibus hæreditariis, & ibi notat & commendat Doctores antiqui, text. in leg. Labeo, vers. veluti, & in l. ita liber, ff. eod. tit. & per illa iura ita tenet Bart. in leg. Paul. la. 1. ff. de reb. dub. idem Bart. & alii Doctores in dict. leg. quidam relegatus, eod. tit. Confirmatur quia impersonalitas, five incertitudo in contractibus ex parte creditoris, non vitiat obligationem, text. est notabilis & subtilis in l. stipulatio ista, §. sicut in fin. ff. de verb. oblig. & ibi communiter DD. & dixi aliàs suo loco, in materia contractuum.

46.

Item quæro an legatum factum servo proprio, valeat, vel non? & breviter, & resolutivè dico, quod legatum relictum servo proprio sine libertate, est nullius momenti, etiam si post mortem testatoris aliquo casu efficiatur liber. Ex quo deducitur, & inferitur, quod ex hoc non videtur data sibi libertas: cum libertate verò certum est valere legatum, & uno momento acquiri utrumque. Quod intellige, præterquam, si legatum alimentorum sit sibi relicta: quia illud bene valet & tenet saltem ut petatur iudicis officio: non tamen iure actionis: text. est in l. servo alieno, §. 1. ff. de leg. 1. text. in leg. si legatarius, §. 1. ff. de leg. 3. text. in leg. ex parte, §. servo, ff. famil. ercis. text. in leg. legatum, ff. de capit. domin. text. in l. si virum, ff. de re jud. text. in l. Quintus Mutius ff. de an. legat. text. in l. hæreditas etiam, §. 1. de per. hæredit. text. in l. si quis impedit, ff. de relig. & sumpt. fun. text. in l. servus. Cod. de necess. servus. Ex quo inferitur, quod legatum alimentorum relicta fratribus minoribus, vel aliis, qui non possunt habere proprium, potest peti iudicis officio, ita notabiliter tenet Bart. in d. l. servo alieno, §. 1. ff. de legat. 1. & ibi Alb. Bar. Paul. & communiter Doctores: item adde, quod talis hæres non peccat, nec tenetur in conscientia legatum relictum servo extra causam alimentorum solvere: quia nulla actio, vel obligatio queritur servo, nec relidet in ejus persona: imò,

Imò, si acquireretur, statim transferretur ad hæredem, & reperiretur sibi ipsi obligatus, quod esse non potest, ut in l. frater a fratre, cum ibi notatis, ff. de cond. indeb. Item etiam, quia quando lex humana positiva aliquid disponit, & statuit super certo, ex aliqua justa causa & ratione, talis lex valet & tenet, & est servanda etiam in foro conscientie, ita in terminis tenet & declarat generaliter, & in omni materia disposita per legem Bald. in d. l. pen. §. illo, C. de neces. ser. & ibi Paul. de Cast. & communiter alii Doctores, & idem tenet etiam Bald. magistraliter, & resolutivè ex mente Theologorum, in l. cum quis, C. de jur. & fact. ignor. 6. col.

47.

Item quæro, an, & quando legatum possit conferri in voluntatem alterius? in quo articulo breviter & resolutivè dico quod in voluntatem hæredis non potest reliqui & conferri, ut si testator dicat: Lego Titio centum, si hæres meus voluerit, textus est in l. senatus, §. 1. & §. legatum, ff. de legat. 1. cujus verba sunt: Legatum in aliena voluntate poni potest, in hæredis non potest, & ibi Glossa ordinaria & communiter Doctores. Quod tamen fallit in legato libertatis, vel pio: quia valet, textus est in l. in fideicommissaria, ff. de fideicommiss. liber. Item intelligi, quando legatum relinquatur in meram, & absolutam voluntatem hæredis. Secus tamen est, si relinquatur & conferatur in arbitrium ejus quia tunc valet & tenet, & effectus est maximus: quia si fuerit iustum, & æquum, debetur legatum, licet ipse non arbitretur, vel contrarium arbitretur, textus est in l. si sic, ff. de leg. 1. cujus pulchra verba sunt: Si sic legatum relictum sit, si æstimaverit hæres, si comprobaverit, si iustum putaverit, & legatum fideicommissum debebitur: quoniam quasi vivo bono potius bono ei commissum est, non in meram voluntatem hæredis collatum: & ibi Glossa ordinaria, Bart. Alber. Bald. Paul. & communiter Doctores, text. in l. fideicommissi, §. quamquam, ff. de leg. 3. cujus verba sunt: Quamquam autem fideicommissum ita relicta, si nolueris, non debetur: tamen si ita scriptum fuerit, si fueris arbitratus, si putaveris, si æstimaveris, si utile tibi fuerit visum, debebitur, non enim plenam arbitrium voluntatis hæredi dedit, sed quasi vivo bono fideicommissum relicta, & ibi Glossa ordinaria & communiter Doctores. In voluntatem verò legatarii bene potest conferri, text. formalis & expressus in l. si ita legatum, §. illi si voluerit, ff. de leg. 1. cujus verba sunt: Illi si voluerit Stichum domus, conditionale est legatum, & non aliter ad hæredem transiit, quam si legatarius voluerit, quamvis aliàs quod sine actione, si voluerit, legatum sit, ad hæredem transmittitur. Aliud est enim iuris, si quid tacite continetur: aliud, si verbis exprimat, & ad hoc notat & commendat Glossa ordinaria & communiter Doctores, & reputat singulare & unicum Alber. ibi post Dyn. Sed ultra eos similis textus est in l. si ita expressum erit, ff. de condit. & demonstr. Et licet ista conditio tacite insit in quolibet legato, & non impediat transmissionem, ut in leg. unica, §. cum igitur, C. de caduc. toll. tamen, quando exprimitur per testatorem, veram & propriam conditionem inducit, & impedit transmissionem, nisi declaret, se velle expresse, vel tacite aliquo actu, sicut in additione hæreditatis secundum Paul. & Doctores, ibi. Ex quo deducitur, & inferitur,

quod ea que tacite insunt à jure, si exprimat, per testatorem aliter quam insunt, multum operantur: quia inducunt conditionem. Et adde, quod idem esset in quolibet contractu lucrativo, quia potest conferri in voluntatem acquirere debentis, licet non impediat transmissionem, sicut nec impedit alia conditio. Secus tamen in oneroso, quia modo ponatur per verba mera & absoluta voluntatis, modo arbitrii, non potest valere, text. est in l. vendenti, C. de contr. empr. in l. sub hac, ff. de action. & oblig. text. in l. centesimus, §. fin. ff. de verb. oblig. & utrobique communiter Doctores, notatur etiam in l. quod sepe, §. 1. ff. de contrah. empr. ita tenet & declarat Bald. & Paul. de Cast. Imol. Cuman. post antiquos in d. §. illi si voluerit, idem Paul. de Cast. in l. senatus, §. 1. eod. tit. Idem Paul. in l. in vend. Cod. de contrah. empr. & ante eos ita tenet, & declarat Bart. in l. si sic, ff. de legat. 1. & ibi alii Doctores. In voluntatem verò alterius tertii non potest reliqui, nec conferri: quia esset captatoria voluntas, textus est in l. nonnunquam, vers. fin. ff. de cond. & demonstr. cujus verba sunt: Non tamen poterit alius verbis uti ut legatarius, si Marcus voluerit, Titio decem donet. Non in alienam voluntatem conferri legatum non potest, text. in l. captatoria, ff. de leg. 1. & utrobique communiter Doctores. Quod tamen intelligitur, quando relinquatur in meram voluntatem tertii, secus tamen, si in arbitrium ejus, vel per verba denotanda arbitrium: quia tunc bene valet legatum illo arbitrate, textus est, qui sic debet intelligi in d. l. 1. ff. de leg. 2. & ibi Glossa ordinaria Bart. Alber. Paul. Imol. & communiter Doctores. Et idem est, quando relinquatur sub aliena conditione potestativa ejusdem tertii, ut ascenderit capitulum, vel simili alia conditione: quia similiter valet & tenet, ut in d. l. 1. ff. de legat. 2. & in d. l. non nunquam, ff. de condit. & demonstr. contractus verò bene potest committi in voluntatem, vel arbitrium tertii, quia in contractibus non reperitur reprobatæ captatoria voluntas: ita singulariter tenet Bart. in d. l. 1. ff. de leg. 2. 3. col. Paul. de Cast. in l. centesimus, §. fin. de verb. obligat. idem Paul. in l. stipulatio non valet, eodem tit. idem Paul. in l. in vendenti, Cod. de contrah. empr. 1. col. num. 3. Joan. de Imol. in l. captatoria, ff. de her. inst. Jaf. in l. si quis arbitratus, ff. de verb. obl. 1. col.

48.

Item quæro, an, & quando electio persona legatarii possit committi hæredi, vel alteri tertio? in quo articulo resolutivè dico, quod electio de incertis personis non potest committi, ut si testator dicat: Lego centum, vel rem ei, quem hæres meus, vel Titius elegerit: quia esset captatoria voluntas. Sed electio de certis bene potest committi, ut si dicat, Lego uni ex filiis meis, vel libertis, vel consanguineis meis, quem Titius elegerit: quia tunc substantia legati, vel dispositionis non confertur in ejus voluntatem, sed tantum qualitas, vel accessorium, hoc est, illa electio persona, text. est notabilis in l. cum quidam, la. 2. ff. de leg. 2. & ibi notat & commendat Bart. Alber. Paul. Bald. Imol. Cuman. & communiter Doctores: text. capitalis & expressus, in l. unum ex familia, per totam, l. eod. tit. & ibi communiter Doctores: Item adde, quod isto casu licet hæres, vel commissarius sit gravatus eligere aliquos ex eis, & sic plures potest eligere unum tantum, text. est in d. l. cum quidam. Et eodem modo, si sit gravatus eligere duos, vel plures, text.

est in d. l. unum ex familia, §. si duos, quem ibi reputant mirabilem Barr. Paul. Imol. & communiter Doctores. Item adde, quod in his casibus poterit talis hæres, vel commissarius eligere indignum & non bene merentem ipsi testatori, & eum præferre cæteris aliis. Quod tamen limita, & intellige, quando per verba meræ voluntatis est sibi electio commissa: secus verò si per verba denotantia arbitrium: quatenus debet eligere dignum, & eum præferre: ita probat text. in d. l. cum quidam, & ibi communiter Doctores, de quo Bart. & Moderni, præcipue Jaf. in l. si sic, ff. de leg. l. item adde, quod si talis hæres, vel commissarius nullum elegerit: omnes illi, inter quos erat fienda electio, debent admitti, & vocantur simul ad legatum, vel fideicommissum: text. est in d. l. cum quidam, & ibi communiter Doctores, text. in d. l. unum ex familia, §. rogo, & ibi Bart. & communiter Doctores: Item adde, quod istam electionem poterit hæres, vel commissarius facere in vita, vel morte, & coram duobus testibus tantum, cum non sit dispositio d. per se, sed tantum declaratio: ita notabiliter tenet, & determinat Paul. de Castr. in d. l. unum ex familia, 2. col. & ibi communiter Doctores, & facit text. in l. hæres palam, §. si quid potest, ff. de testam. & ibi Bart. & communiter Doctores.

Item adde, quod talis hæres, vel commissarius poterit facere electionem in præsentia, vel absentia personæ electæ: ita probant prædicta jura, & in terminis ita tenet Bart. in d. l. unum ex familia, §. fin. de Falcid. & ibi communiter Doctores.

Item adde, quod talis persona, qua fuerit electa, non dicitur capere de manu & dispositione eligentis, sed primi testatoris disponentis, textus est in d. l. unum ex familia, ibi, quod postea quam electus est, ex alio testamento petere potest, & quasi per totam legem, & ibi notat & commendat Bart. & communiter Doctores: probat etiam text. in l. in adibus, §. quod filius familiaris, ff. de donat. ubi si quis dederit uni rem, ut alteri donet: illa donatio censetur facta à primo: text. in l. coheredi, cum filia, ff. de vulg. & pupillar. text. in l. utrum, §. 1. ff. de reb. dub. text. in l. pater, ff. de manumiss. vind. text. in l. campanus, ff. de oper. liber. text. in l. professorem, §. si quis certam, ff. de jur. dot. Unde si quis dederit patri aliquam pecuniæ quantitatem, quam det filia pro dote, non dicitur dos patris, sed alterius: text. in l. 1. Cod. de liber. & eorum, libert. ubi habetur, quod si quis commisit, & gravavit alterum ut servum manumittat, non dicitur capere libertatem à secundo, sed à primo, & per consequens si fuerit ingratum secundo, non potest redigi in servitutem, text. in l. 2. de oper. lib. text. in l. ita autem, §. gisse, ff. de administrat. tutor. text. in regul. quod iustus alterius, ff. de regul. jur. text. in reg. qui facit. de regulis juris, in 6. Inferitur, quod si testator reliquit pauperibus talis loci, parochia, vel civitatis, vel hospitalis, quos hæres vel commissarius elegerit, valet dispositio, & poterit eligere, quos voluerit, & eo non eligente, admittuntur omnes pauperes illius loci, vel civitatis, vel hospitalis: ita Bart. in dicit. §. rogo. Si vero simpliciter iustus eligere, vel distribuere inter pauperes, non assignato loco, nec civi-

tate simpliciter valet legatum, si eligat, & eo non eligente, similiter valet, favore pia causa, textus est in leg. id quod pauperibus, Cod. de Episcop. & cleric. cujus verba sunt: Id quod pauperibus testamento, vel codicillis relinquitur, non ut incertis personis relictum evanescat, sed omnibus modis ratum, firmumque consistat. Quo casu, si in loco, vel civitate ubi testator fecit testamentum, reperitur hospitale, illi dabitur: si & sunt plura, dabitur pauperiori. Si vero non reperitur aliquod hospitale, Episcopus, vel ejus vicarius dividit inter pauperes illius loci: & idem est, si relinquatur in redemptionem captivorum, textus est in l. nulli, C. de Episc. & cleric. text. in l. si quis ad declinandam, eodem titul. & ibi communiter Doctores: & idem disponit lex. 20. tit. 3. 6. part. Et in tantum hoc est verum, ut procedat, etiamsi nulla quantitas sit expressa, vel tacita per testatorem, quia commissarius potest distribuere, secundum qualitatem personæ, & patrimonii: ita Bald. in d. l. nulli, 2. lect. 3. column. num. 6. & ibi communiter Doctores. Advertendum tamen, quod hodie de jure Canonico indistinctè committitur electio Episcopo, vel ejus vicario, ut distribuatur inter pauperes illius loci, vel alterius, modò sit ibi hospitale, modò non, argumento text. in cap. si pater, de testam. in 6. & probat text. in authent. de Eccles. tit. §. si quis, autem pro redemptione, collat. 9. & tenet expresse Bart. in dicit. l. si quis ad declinandam, C. de Episc. & cleric. ubi dicit, quod miratur, quod alii Doctores non dixerint: & sequitur ibi Bald. Paul. Salyc. & communiter Doctores.

Item quero, si testator legavit alicui quicquid habet in tali camera, vel loco, an videatur etiam legare ea, quæ postea ibi fuerunt posita, & illata? In quo breviter dico, quod illa, quæ ibi erant tempore legati facti, debentur: Item etiam debentur omnia illa, quæ ipsemet testator, vel alius de ejus mandato, consensu, & voluntate immiserit. Secus tamen si ipse legatarius, vel alius intulerit, ignorante testatore: quia non debentur, nec veniunt in legato; textus est qui hæc sententiam & resolutionem probat in l. cum ita legatum, ff. de leg. 2. & ibi notat & commendat Glossa ordinaria, Bart. Alb. Bald. Paul. Imol. & communiter Doctores: textus in l. nomen, §. 1. de legat. 3. text. in l. penult. §. fin. de aur. & arg. legato. Nec obstat text. in l. si ita legatum, eodem tit. ubi, si testator legat vestes vel res suas certæ generis, tantum debentur illæ, quæ erant propriæ testatoris, tempore testamenti, non verò illæ, quæ postea acquiruntur quia respondeo, quod hic testator se retulit ad res repetas in certo loco, unde postea illatæ debentur: ibi verò retulit se ad res proprias suas, ideo non debentur res, quæ postea acquiruntur.

Item quero, si testator legavit uxori, vel alteri, frumentum quod habet in domo, & postea in vita ejus illud consumpsit, & aliud ibi reponit, an debeatur legatario? Et breviter dicendum est, quod sic, quia de intentione, & voluntate testatoris censetur subrogatum loco primi, argumento textus in l. si servus, §. quicumque, de legat. text. in l. Lucius Titius, de leg. 2. text. in l. si quis ff. de lib. legat. & in expresse ita tenet Bart. in d. l. quicumque, & ibi Ang. Paul. & alii Doctores,

res, Paul. in d. l. Lucius. Quod intellige usque ad concurrentem quantitatem, argumento text. in l. si ita legatum, de aur. & argent. legat. ita Paul. de Castr. notat in dicit. §. quicumque, & ibi Alexand. in addition.

Item adde, quod si testator legavit Titio tantum quantum hæres habebunt, Titius legatarius habebit dimidiam partem totius hereditatis, & hæres aliam dimidiam partem. Et idem est, si legavit Titio tantum, quantum hæres habet; quia infinita æquipollet universali, text. est in l. si ita relictum, in 1. part. ff. de legat. 2. Si verò legavit Titio tantum, quantum unus hæres habet, tantum debetur minor pars, in qua unus ex hæredibus esset institutus, text. est singularis & unicus in d. l. si ita relictum in secunda parte, ibi notat & commendat Bartol. & communiter Doctores, & reputat singularem & unicum Alber. ibid.

Item adde, quod si testator simpliciter, & absolute gravavit hæres dare Titio decem, tenentur omnes dare unam decem, non quilibet eorum. Et idem est, si cum staretur plures hæres, dixit, hæres meus det Titio decem, quia infinita æquipollet universali, textus est in l. si pluribus, ff. de legat. 2. & ibi Glossa ordinaria, Bart. & communiter, Doctores Secus tamen est, si per verba distributiva dixisset, quilibet solvat, quia quilibet tenetur secundum eos.

Item adde, quod legatum alicui factum sub conditione, vel die, non potest simpliciter renunciari: quia non competit legatario jus de præsentio, text. in l. si ita scriptum, §. 1. de leg. 2. Quod intellige per viam renunciationis secus si per viam facti, vel conventionis cum hærede, vel cum debitore, argumento text. in l. 1. C. de pact. ita Glossa ordinaria, Bart. & communiter Doctores, in dicit. §. 1. Et eodem modo, si testator legat alteri, quod sibi debetur, intelligitur purè, & de præsentio, non verò quod sibi debetur sub conditione vel in diem, textus est in l. si ita scripsisset de legat. 2. & ibi Glossa ordinaria & communiter Doctores. De quo articulo vide notabiliter ea, quæ dixi in materia contractuum, in contractu in diem.

Item adde, quod si appareant duo testamentata, vel scriptura originale, & æquæ principales, ejusdem solemnitatis, & temporis, & in una reperitur minor quantitas legata Titio, & in alio major dabitur minor: quia in dubio hæres relevandus, & non gravandus, textus est singularis & unicus in l. Sempronius proculo, ff. de leg. 2. quem ad hoc notat & commendat ibi Glossa ordinaria & communiter Doctores, & reputat singularem & unicum Bald. & Imol. Quod tamen intellige, quando utraque scriptura est originalis, & æquæ principalis, ut dixi. Secus tamen est si una sit registrum, & protocolum tabellionis, alia verò transumptum ex eo: quia tunc magis creditur registro & protocollo: quia originalis, & principalis dicitur ita tenent communiter Doctores in d. l. Sempronius Proculo: & tenet Bartol. & Moderni in l. si quis ex argentariis, §. si iniquum, ff. de edend.

Item quero, an, & quando possit quis gravare in plus, quàm honoretur? In quo articulo resolutivè dico, quod si quis non est hæres institutus, nec legatarius, nec aliquod commodum

ei relinquatur in testamento, vel codicillis, non potest per testatorem in aliquo gravari, cum in aliquo sit honoratus. Et hoc casu propriè habet locum regula illa juris quæ habet, quod illum, quem non honoro, gravare non possum: text. est in l. ab eo, Cod. de fideicommissum. Cujus verba sunt: Ab eo, qui neque legatum, nec fideicommissum, nec hereditatem, vel mortis causa donationes accipit, nihil per fideicommissum relinquere potest. & ibi Gloss. ordinaria, Olofred. Pet. Cyn. Jaf. Bar. Bar. Alb. Bal. Angel. Paul. Sal. Fulg. Corn. Jaf. & communiter Doctores, text. in l. 6. §. fin. de legat. 3. Quod est verum, & procedit, etiam si maximo beneficio & commodo sit affectus, non tamen pecuniario, ut si servo relinquatur jus patronatus: quia ex hoc gravari non potest text. notabilis in l. plane, §. fin. quod finiti ad infinitum nulla est proportio.

Item etiam, si debitor legavit creditori rem mobilem, vel immobilem, quam ex contractu sibi debet, non potest eum gravare: quia licet virtute legati in eum transeat directum, & plenum dominium, tamen quia non est commodum pecuniarium, gravari non potest, textus est in l. 3. §. si rem, ff. de leg. 3. & ibi Bart. & communiter Doctores. Quod limita & intellige præterquam si gravatur ille, ad quem perveniat commodum honorati, vel ille qui reputatur eadem persona cum honorato, ut si gravetur hæres hæredis, vel legatarii, vel pater hæredis instituti, vel legatarii, vel tutor, vel curator, vel administrator ejus: text. est in l. 3. si fuerit ff. de legat. 3. text. in l. a patre, eod. tit. text. in l. pater, §. mater, ff. de legat. 2. & ibi Glossa ordinaria, Bart. & communiter Doctores. Ex quo inferitur, quod relictum ab executori testamenti videatur relictum ab hærede, & valet, text. est in l. alio, ff. de alimen. & cibis, legat. & ibi Bart. & communiter Doctores, tenet & etiam commendat Bartol. Paul. Imol. & communiter Doctores in d. §. pater. Paul. & Moderni in d. l. ab eo, Cod. de fideicommissum.

Item etiam limita, & intellige, præterquam, si cum gravamine interveniunt verba enunciativa in persona onerata, ut si testator dicat: Ex centum, quæ Titio legavi, det, vel restituat quinquaginta Scio, quia tunc censetur Titius honoratus in centum: & per consequens valet, & tenet gravamen, argumento text. in l. denique, §. interdum, ff. de pecul. per quem ita tenet Bart. in l. cum tale, §. fin. ff. de cond. & demon. Sed ejus opinio communis reprobat: quia aliàs nunquam haberet locum superior regula, l. ab eo, Cod. de fideicommissum similis, & ita reprobat Alex. & Jaf. & magis communis opinio Modernorum in l. Centuria, ff. de vulg. & pupill. & reprobat Corneus & Moderni, in dicit. l. ab eo, pro qua communi opinione contra Bart. facit textus expressior cæteris in leg. hereditas ad statum, ff. de hered. instit. Si verò testator legavit alicui certam summam, vel quantitatem in ea,

indefinita æquipolet universalis.

52

53

54

valer, & tenet gravamen. Si plures gravet, non valet, nec tenet in eo, quod est plus, text. in l. Imperator. ff. de legat. 2. cujus verba sunt: Si certum legatis duplum restituere rogatus sit, ad summam legatis videtur constituisse, & ibi Glossa ordinaria & communiter Doctores. Si vero testator gravavit aliquem rem propriam restituere, percepta certa quantitate, vel pecunia, indistinctè valet, & tenet gravamen, licet sit plus quam legatum sibi relictum: quia in tantum videtur rem suam vel speciem æstimare, textus est in d. l. Imperator, & ibi communiter Doctores. Si vero testator legavit rem, vel speciem propriam, non potest legatarium gravare in majori quantitate, vel summa, quam sit valor, & æstimatio illius rei cum fructibus: text. est notabilis in l. civitatibus, §. fin. de leg. 1. & ibi communiter Doctores, text. in leg. filius famul. §. apud Marcellum, eod. tit. Cujus ratio est: quia licet legatarius agnovit legatum, justè potuit ignorare valorem rei testatoris, vel alterius: ita Paul. in d. h. civitatibus §. fin.

55. Item quero si testator legavit alicui simpliciter lanam, quid veniat, & comprehendatur in illo legato; & resolutivè dico, quod venit lana, quæ jam est tona, & separata à corpore animalis; & si lana est junctâ cum ipsa pelle, venit etiam pellis: non verò venit in legato lana quæ adhæret corpori animalis: item venit lana, modò sit succida, modò lavata; idem modò sit preparata carpinata, & pectinata, modò non: item modò sit filata, modo non: non tamen venit lana quæ facta est jam tela, vel tinctâ est: secus tamen est in lino: quia lino legato venit, modò sit filarum, modò in tela positum, & etiam tinctum, modo non. Cujus ratio est, quia per tincturam, & telam, lana efficitur longè majoris pretii, & valoris, in sui forma, & quantitate, quam lino, text. est singularis in jure, qui omnia ista amplectitur, in l. cum lana, ff. de leg. 3. & ibi Glossa ordinaria, Bart. & communiter Doctores, & illum text. reputat pulcherrimum, & mirabilem Alber. ibi.

36. Item quero, quibus modis revocetur legatum à testatore relicto: & magistraliter, & resolutivè dico, & respondeo, quod duobus modis. Primo modo expressè, quando testator penitentia ductus revocat legatum in totum, vel pro parte, in eodem testamento, vel codicillis: text. in l. 1. & per totum ff. de adim. leg. text. in §. univo, Inst. de ademp. leg. & utrobique communiter Doctores, & idem disponit lex 36. tit. 9. 6. part. Secundo modo tacitè quando elicitur ex tacita, & conjecturata mente testatoris, quia solo nutu, & tacita voluntate potest relinqui, & amitti, ut in l. nutu, ff. de legat. 3. & in l. & in epistola, C. de fideicommissis, cum similibus. Et tacitè censetur revocatum in casibus sequentibus. Primus est, quando in post legatum factum sunt ortæ de novo inimicitie capitales inter ipsum testatorem & legatarium: secus verò, si leves: item secus, si iterum redierint in amicitiam: quia reconvalescit legatum ex nova, vel tacita voluntate: text. in l. 3. §. final. cum l. 2. ff. de adim. legat. & ibi Glossa ordinaria, & communiter Doctores: ex quo inferitur, quod si legatarius commisit adulterium cum uxore testatoris, censetur revocatum legatum. Glossa est singularis in jure, in l. fideicommissum, Cod. de fideicom. & ibi communiter Doctores. Quod intellige in vita testatoris, secus tamen, si post mortem ejus, quia tunc non durat, nec potest

attendi voluntas defuncti, sed bene efficitur indignus, & applicatur fisco, per tit. ff. & Cod. de his quib. ut indig. secundum Doctores, & in d. l. fideicommissum. Si verò duxit eam in uxorem, nullam poenam incurrit, ita Bald. in authentic. ex testamento, Cod. de secund. nupt. 3. col. Et hoc procedit in legatis: in hereditatibus vero indistinctè, modò inimicitie interveniant in vita, modò post mortem, non fit revocatio; ut applicetur hereditas ab intestato, quia hereditas nuda voluntate non potest adimi, sed hæres efficitur indignus, & hereditas applicatur fisco: text. est in l. indignus & quasi per tot. ff. de his quib. ut indig. text. in l. sororem, Cod. eod. tit. Secundus casus est, quando testator rem legatam postea in vita alienavit. Quo casu, si alienatio fit titulo lucrativo, indistinctè censetur revocatum legatum: quia nulla potest considerari causa, vel necessitas, ut aliud præsumatur: text. est in l. rem legatam, ff. de adim. legat. cujus verba sunt: Rem legatam si testator vivus alii donavit, omnimodo extinguatur legatum. Si verò alienatio fit titulo oneroso, tunc si ex mera, & libera voluntate, videtur revocatum legatum: si verò aliqua necessitate cogente, non revocatur, nisi per heredem probetur contrarium, & text. est in l. fideicommissa, §. si rem, D. legat. Cujus verba sunt: Si rem suam testator alicui legaverit, eamque necessitate urgente alienaverit, fideicommissum per se posse, &c. & ibi notat & commendat Gloss. ordinaria, Alb. & communiter Doct. text. in §. si rem suam, Inst. de legat. & ibi Gloss. ordinaria, Fab. Ang. Plat. & communiter Doct. & idem disponit lex. 4. tit. 9. 6. part. quæ etiam dicit quod in dubio semper præsumitur fieri alienatio ex necessitate. Quod extendit, ut procedat etiam post alienationem rei eam redemerit: text. est notabilis in leg. cum servus, ff. de adim. legat. & ibi notat & commendat Bart. Alber. & communiter Doctores: notat etiam, & commendat Bald. & alii Doctores in l. 3. Cod. de leg. Quod tamen limita, & intellige, præterquam favore libertatis, quia si testator reliquit libertatem servo, quem alienavit voluntariè, & postea redemit, restauratur libertas, text. est in leg. verum ff. de manumiss. testam. & ibi Doctores. Ex quo videtur inferendum, quod idem esset in causa pia. Secundo intellige, quando res legata alienatur pleno jure, secus tamen, si pignoretur, vel hypothecetur: quia non censetur ademptum legatum, sed hæres tenetur eam luere, & solvere legatario, text. est in l. 3. C. de legat. Cujus verba sunt: Qui post testamentum factum prædia que legavit, pignori vel hypotheca dedit, manifestè voluntatem circa legatariorum personam non videtur, & ibi Gloss. ordinaria & communiter Doct. text. in §. si rem suam, vers. 1. Inst. de legat. & ibi communiter Doctores. Cujus ratio est, quia licet pignus, vel hypotheca sit species alienationis, ut in l. fin. Cod. reb. alien. non alien. tamen non est propria, plena, & perfecta alienatio, cum non transeat dominium, sed tantum quoddam jus in re: ita Pet. & communiter alii Doctores in d. tit. tenent. Secunda melior, & subtilior ratio est: quia in donatione, venditione, vel alienatione, non est spes luctationis, nec remanet penes alienantem, jus redimendi, sed quod perpetuò sit penes recipientem, & non revertatur ad alienantem. Sed in pignore, vel hypotheca sic, ita Cyn. Paul. Jaf. & Moderni

in d. l. 3. Cod. de legat. Ex quo singulariter inferitur, quod si pignoretur pro tanto pretio, quod non sit spes luctationis censetur revocatum legatum, argumento textus in l. qui habebat, ff. de legat. 3. & in leg. legata in fin. ff. de sup. legat. & in expresso ita tenet Bart. in dicit. leg. rem legatam, in fin. ff. de adim. legat. Paul. de Cast. Jaf. & Moder. in d. l. 3. C. de legat. Alexand. in l. x. §. per sum corporaliter, ff. de acquir. possess. fin. column. Angel. & Plat. in §. si rem. Inst. de legat. Item videtur inferendum, quod si esset facta alienatio cum pacto de retrovendendo, non censetur revocatum. Sed in judicando, & consulendo contrarium tenerem: quia negari non potest, quod sit vera & propria alienatio. Item limita, & intellige, quando testator legavit simpliciter rem, & postea alienat: secus tamen, si legavit rem, vel valorem ejus: quia licet postea alienet, debetur æstimatio. Ita probat text. in l. Lucius l. i. ff. de legat. 2. & communiter Doctores, & tenent Moderni in dicit. leg. 3. C. de legat. Item limita, quando est facta alienatio & traditio: secus si alia, argumento text. in l. prædium, §. liberta, ff. de instrum. vel instrum. legat. per quem ita tenet Bald. in d. l. 3. & ibi alii Doctores. Item limita, præterquam si nomen rei alienatæ sit impositum alteri rei, & testator in legato se retulit ad tempus mortis, ut si dixit: Lego servum meum heredem, vel ancillam Agatham, quæ sit mea tempore mortis, & testator in vita alienavit, & postea alium, vel aliam emit, cui idem nomen imposuit, nam illa debetur, & valet legatum: text. est singularis & unicus in l. filia, §. Titia, ff. de vendit. & demonstr. quem ibi notat & commendat Bartol. Alber. & Doctores antiqui, & reputat singularem & unicum Socin. Item adde, quod quando testator se retulit ad rem de præsentia, habet locum ista materia, & distinctio. Secus verò, quando se retulit ad tempus mortis, ut si dicat: Lego Titio talem rem, quæ sit mea tempore mortis: quia licet eam habeat, & possideat tempore testamenti, & postea alienet, nunquam revocatur legatum, si postea recuperet, & habeat tempore mortis. Ita probat text. in l. scribit Quirinus ff. de aur. & argent. legat. & probat text. in dicit. §. Titia, & ibi tenent Doctores.

Item quero, quibus modis possit fieri legatum, & quæ sit natura, virtus, & effectus cujlibet? Et magistraliter, & resolutivè dico, quod aliquando, & primò legatum fit purè, & simpliciter, aliquando & secundò legatum fit in diem: aliquando, & tertio fit legatum sub conditione: aliquando, & quarto legatum fit sub demonstratione: aliquando, & sexto legatum fit sub aliqua causa. Ita est Gloss. notabilis & magistralis in rubr. ff. de condit. & demonstr. quam notat, & commendat ibi Bart. Alber. & communiter Doctores, & reputat meliorem de jure, Bald. & Moderni; similis etiam Gloss. est in §. longè, Inst. de leg. tenet Azo in rubr. C. de falsa causa adjecto legato, & ibi Odofred. Cyn. Alber. Bald. Paul. & communiter Doctores; idem Azo, & communiter Doctores in rubr. Cod. de his que sub modo relinquuntur. Aliquando, & primò dixi, legatum fit purè, & simpliciter, quando testator simpliciter legat rem, vel pecuniam, nullo die, tempore, conditione, vel qualitate posita, per quam suspendatur legatum, & pretium ejus. In quo nota

& collige talem regulam; quod quando in legato, vel dispositione non constat, nec appareat, quod sit posita, vel adjecta dies, vel conditio, talis dispositio dicitur pura, textus est formalis & expressus in l. 1. ff. de condit. & demonstr. aut si nihil horum, &c. Et ibi ad hoc notat & commendat Paul. de Cast. r. col. num. 2. Imol. Raph. Cuman. & Socin. post antiquos. Unde alleganti diem, vel conditionem incumbit onus probandi, secundum eos: quia de natura regula est, transferre onus probandi in adversarium, ut est Gloss. in l. omnis diffinitio, ff. de regul. jur. Quo casu competunt illæ tres actiones, de quibus supra, scilicet, personarum ex testamento, rei vindicatio, & hypothecaria. Idem etiam transit dominium, si legatum consistit in specie, ut supra dictum est. Aliquando, & secundò dixi, quod legatum fit in diem quando testator legat quantitatem, vel rem, in diem certam. Quo casu dubium maximum est, an oriatur actio & obligatio, ante adventum ejus. Et videtur, quod non: quia non est ibi contractus, nec consensus, nec voluntas testatoris, vel hæredis, ex quibus oriatur actio, & in expresso ita tenet Gloss. singularis & unica in l. unica, §. cum igitur, C. de caduc. tollend. in gloss. final. quam reputat singularem & unicum Bald. ibi penultim. col. num. 12. Idem Bald. in leg. fin. Cod. de testament. manumiss. Sed illa Glossa & opinio est falsa, & communiter reprobat. Imò dicendum est, quod tali casu statim oriatur actio & obligatio, ante adventum diei, sed obitabit exceptio legatario, sicut in contractibus celebratis in diem: ita tenet Bart. Cyn. Alber. Bald. Ang. Paul. Salye. Corn. & communiter Doctores, contra Gloss. ibi in d. l. unica, §. cum igitur, C. de caduc. tollend. quia per aditionem hereditatis saltem intervenit quidam quasi contractus, & consensus inter heredem, & creditores, & legatarios, quibus tenetur & obligatur, licet obstat eis exceptio. Ex quo inferitur, quod ante diem potest eis per heredem solvi, cum eorum gratia sit dies positus, secundum eos. Quod tamen intellige, quando dies est certa: secus verò si incerta, quia tunc habetur pro conditione, & non oriatur actio, & obligatio, nec ante potest solvi invitit legatariis. Imò, omnia habent locum in tali legato, quæ habent locum, si legatum esset relicto sub conditione, text. est in l. 1. ff. de condit. & demonstr. text. in l. dies incertus, eod. tit. cujus verba sunt: Dies incertus conditionem in testamento facit, text. in leg. hæres meus, eod. tit. text. in l. si post diem ff. quando dies legat. cedat. text. in l. si dies appposita, eod. tit. & quasi per totum, text. in l. stipulatio ista §. inter certam, ff. de verb. oblig. text. in l. quod in diem, ff. de solut. text. in l. quod quis, ff. de action. & oblig. text. in l. intra dies, ff. de regul. jur. text. in l. cum qui, ff. de annal. legat. text. in l. unica, §. cum igitur, ff. de caduc. toll. Mortuo tamen legatario ante diem, bene transferretur ad hæredes, tanquam si esset purum, textus est in l. si dies, ff. quan. dies legat. ced. & quasi per totum, text. formalis & expressus in l. unica, §. cum igitur, C. de caduc. tollend. vers. fin. cujus verba sunt: Sancimus omnes habere licentiam, à morte testatorum adire hereditates, similique modo diem legatorum, vel fideicommissorum, pure, vel in diem certam, relictorum, à morte testatorum cedere; & ibi notat Gloss. ordinaria, Bartol. Cyn. Odofred. Alber.

Bald. Angel. Paul. Salyc. Corn. & communiter Doctores. Dominium autem non transit ipso jure in legatarium, ante adventum diei: ita probat textus singularis in jure, in l. Sempronius, ff. usufruct. legat. quem ad hoc notat, & commendat ibi Barr. Alber. & communiter Doctores antiqui, & reputat singulariter Joan. de Imol. in l. 1. ff. de legat. 1. per. colum. & ibi Moderni, præcipue Jason. per. col. n. 106. & dicit singulariter & unicum Bald. in c. 1. de plus petit. 3. col. tenet etiam Barr. in l. unis. §. 1. C. de caduc. tollend. & ibi communiter Doctores, Glossa ordinaria, in l. si ita scriptum, §. 1. ff. de legat. 2. & ibi communiter Doctores, Bald. in leg. fin. §. sed quia, C. commun. de legat. 1. col. & ibi Doctores Bald. & Moderni, in l. si servus Titii, ff. de legat. 3. per quos vide rationem.

Quæro tamen, si alicui minori fiat legatum vel fideicommissum, quando fuerit legitime ætatis, vel quando bona sua possit administrare, quo tempore possit petere: & resolutivè respondeo, quod perveniat ad tempus 35. annorum, text. est in l. fin. ff. de condit. & demonstr. quia licet antea possit se obligare, & administrare, non tamen effectu. Quod extende, ut procedat etiam si veniam ætatis impetrasset, text. est in l. fin. Cod. de his qui ven. ætat. imper. & tenet Gloss. ordinaria, & communiter Doctores in dicti leg. final.

Aliquando, & tertio legatum fit sub conditione, quando testator legat, vel relinquat aliquid sub conditione, si tale quid contingat, ut in l. 1. & per totum, ff. de condit. & demonstr. textus in l. 1. & per totum, ff. de condit. inst. text. in l. 1. per totum, C. de inst. & substit. sub condit. facti, text. in l. 1. C. de condit. inst. Pro cuius perfecta resolutione dico, quod conditio est quedam legati suspensio, cujus de futuro defectus, seu confirmatio pendet. Istam diffinitionem ponit Gloss. ordinaria, in rubr. ff. de condit. & demonstr. & posuit originaliter Azo in sum. C. de condit. inst. col. n. 1. sed eam reprobat ibi Barr. per rationes & fundamenta ejus, quem sequuntur communiter alii Doct. licet Socin. ibi sustineat, & confirmet eam. Aliter, & secundò definit Barr. in l. 1. ejusdem tit. 1. col. in medio, & dicit, quod conditio est quidam futurus eventus, in quem dispositio suspenditur: quem sequuntur magis communiter Doctores, & eam defendit Socin. ab impugnationibus aliorum. Aliter & tertio definit Bald. in d. rubr. ff. de condit. & demonstr. & dicit, quod conditio est dictio, per quam dispositam habet in suo esse pendentiam, existentiam, vel defectum. Aliter, & quartò definit Card. in c. verum extra, de condit. appof. & dicit: Conditio est adjectio adposita, vel subintellecta in dispositione, suspendens vel solvens ipsam dispositionem, & sequitur Abbas in rub. ejusdem tituli. Vel aliter & quinto potest per sic in defini: Conditio est quidam actus, vel eventus futurus, in quem dispositio conferretur validanda, vel infirmanda. Sed in veritate omnes reducuntur ad eundem effectum.

Item adde, quod quedam conditiones sunt potestativæ, quedam casuales, quedam mixtæ. Item quedam contingibiles, quæ habent se ad esse, & non esse, quedam necessaria. Item quedam sunt de presenti, quedam de præterito, quedam de futuro. Item quedam sunt expressæ, quedam tacitæ, & subintellectæ à jure. Item quedam sunt in dando, quedam in faciendo.

60
Conditio potestativa.

Item quedam sunt possibiles, quedam impossibiles. Potestativæ dicuntur illæ, quæ sunt ita faciles, quod earum implementum est in potestate, & facultate implere debentis: ut dare, vel facere quid tam leve, quod in mera voluntate sua sit illud implere: ut dare Titio minimam rem, vel quantitatem, ire vel ascendere in aliquem propinquum & facilem locum, manumittere servum, &c. text. est in l. suis quoque, §. puto, ff. de hered. inst. & ibi Gloss. ordinaria, & communiter Doctores, text. in leg. Cornelius. eod. tit. textus in l. jam dubitari, eod. tit. in l. verba hæc, ff. de condit. inst. & utrobique communiter Doctores. Casuales conditiones sunt, quæ pendent à viribus, & accidentia fortunæ, ut si navis ex Asia venerit, si Titius consul factus fuerit, si quid tale contigerit, vel acciderit: text. in l. 2. §. si sub conditione, ff. de honor. possess. secund. tabul. Mixtæ conditiones sunt, quæ pendent ex facto implere debentis, & viribus fortunæ, ut facere contractum, vel negotium cum aliquo, contrahere matrimonium cum tali persona, ultra mare, vel in longinquis partibus, vel navigare, vel quid simile facere, textus est in dict. l. suis quoque, §. puto, ff. de hered. inst. in eod. text. in l. si pater, C. de inst. & substit.

Et adde, quod conditiones casuales, vel mixtæ possunt impleri, tam in vita testatoris, quam post mortem ejus: Potestativæ vero debent impleri post mortem ejus, & non ante: text. est in l. 2. de condit. & demonstr. text. in l. hæc conditio, eod. tit. & ibi communiter Doctores. Cujus ratio subtilis est, quia quando est casualis, vel mixta, non pendet à voluntate honorati: & ideo tantum consideravit testator effectum, & implementum ejus: ideo sufficit quocumque tempore impleri. Quando vero est potestativa, pendet ex voluntate honorati, & per ipsum debet impleri secundum voluntatem defuncti, quæ regulariter dirigitur: & debet impleri post mortem ejus: ergo & istam conditionem. Istam rationem posuit Socin. in dict. leg. 1. ff. de condit. & demonstr.

Item adde, quod si talis conditio est facti, non sufficit, quod adimpleatur ignorante eo cui fuit appofita: si vero est conditio juris, indistinctè sufficit quod adimpleatur eo sciente, vel ignorante, text. est notabilis & subtilis in l. multum interest, ff. de condit. & demonstr. & ibi Doctores.

Item dixi, quod quedam conditiones sunt contingibiles, quedam necessaria. Contingibiles dicuntur, quæ habent se ad esse & non esse, & possunt impleri, vel non, cujuscumque naturæ, vel qualitatibus sint, ut superiores. Necessariæ vero sunt illæ, quæ omnino secundum cursum naturæ debent impleri, & istæ non reddunt actum conditionalem, nec suspendunt virtutem, & effectum ejus, sed habentur pro paribus, textus est in l. si pupillus, §. qui sunt sub conditione, ff. de novat. cujus verba sunt: Qui sub conditione stipulatur, quæ omnimodo existura est, pure videtur stipulari, & ibi Gloss. ordinaria, & communiter Doctores, text. in l. in illa stipulatione, si calendis, in fin. ff. de verb. oblig. text. in l. impossibilis in fin. eod. tit.

Item dixi, quod quedam conditiones sunt de presenti, quedam de præterito, quedam de futuro. De presenti, ut si hoc ita est. De præterito, ut si hoc factum est. De futuro, ut si hoc fiet, vel tale quid contingit. Et primæ duæ, si veræ sunt, & ita se habent, statim obligant, & non suspendunt

Condi-
tiones va-
rii gene-
ris.

Casuales.

Mi. 27

61
Conditio casuale, & mixta potestativè impleri in vita testatoris.

62

63
Conditio contingibilis.

64
Conditio de presenti.

suspendunt actum, & dispositionem: alias vero, si ita non se habent, nec sunt verificatæ, statim annullatur actus, & dispositio, text. est in leg. cum ad præsens, cum l. seq. ff. si cert. pet. cujus verba sunt: Cum ad præsens tempus, conditio conferretur, stipulatio non suspenditur. Eadem sunt, & eum in præteritum conditio conferretur: itaque tunc potestatem conditionis obtinet, eum in futurum conferretur, l. itaque ff. eod. & ibi Gloss. ordinaria, Barr. Alber. Paul. de Caltr. & communiter Doctores, textus in l. conditio in præteritum, ff. de verb. oblig. textus in l. institutio talis, ff. de condit. inst. in fin. textus in l. casus casus, ff. de condit. & demonstr. textus in §. conditiones, Inst. de verb. obligat. Conditiones vero de futuro sunt illæ, quæ habent se ad esse, & non esse, & non inducunt aliquem effectum in actu de presenti, sed tantum in spe.

Item dixi, quod quedam conditiones sunt expresse, quedam tacite. Expresse sunt illæ, quæ ore proprio, & verbis testatoris sunt positæ in dispositione. Tacite vero sunt illæ quæ in aliquo actu, vel dispositione fabintelliguntur à jure: & censentur, ut primo, quando quis legat, vel pron. titit partum ancillæ, vel fructus alicujus rei: quia intelligitur, si nascantur, textus est in l. 1. in fin. ff. de condit. & demonstr. text. in l. interdum, ff. de verb. obligat. text. in l. inter stipulationem, §. sacram, eod. tit. text. in l. eam certus, ff. de erico, vino, & oleo legat. text. in l. si debitor, §. 1. ff. de contrah. emptio. Secundo, quando filius gravatur restituere hereditatem, quia intelligitur, si sine liberis decedat, text. in l. cum avus, ff. de condit. & demonstr. text. in l. si generaliter, §. cum avum, Cod. de inst. & substit. Tertio quando fuit posita institutio, quia tacite videtur repetita substitutio, text. in l. licet, ff. de legat. 1. Quarto in omni institutione legati, & fideicommissi quia valor eorum pendet ab additione hereditatis, & tacita conditione ejus, textus in l. 3. ff. de legat. 1. Quinto, quando relinquatur alicui legatum annuum, quia intelligitur conditio si vivat, quia pro primo anno est purum, pro sequentibus conditionale, & intelligitur conditio si vivat, & eo mortuo non transit legatum ad heredes, text. est in l. 4. ff. de annuis leg. text. in leg. cum in annos, ff. quan. dies legat. cod. cum similibus.

Item dixi, quod quedam conditiones consistunt in dando, & quedam in faciendo, in dando, ut si dederit Titio, vel alteri personæ, vel loco decem, vel centum, vel aliam quantitatem vel rem: in faciendo, ut si fecerit tale factum, negotium, vel officium, text. in l. huiusmodi, ff. de leg. 1. text. in l. 2. ff. de verb. oblig.

Item dixi, quod quedam conditiones sunt possibiles, quedam impossibiles. Possibiles, quæ de facto, natura, & de jure fieri possunt. Impossibiles quæ de facto, vel de natura, vel de jure non fieri possunt. De facto, ut si momentum aurum dederis, si digito celum tetigeris. De natura, ut si filius sit major natu patre, si ignis frigeat, si lapis fursam accedat, si animal brutum loquatur. De jure, ut si filius patrem, vel matrem egentem non alar, nec ei præter alimenta, ut si quis ducat in uxorem, quam de jure non potest, text. est in l. 1. ff. de cond. inst. text. in l. condit. §. 1. & 2. eod. tit. text. in l. obinuit, ff. de condit. & demonstr.

text. in §. impossibilis, inst. de hered. inst. text. in l. 3. tit. 4. 6. partia. Et ista ipso jure tolluntur de medio, secus tamen est in contractibus: quia in eis conditio impossibilis vitiat & annullat contractum: cujuscumque formæ, & naturæ sit, sive bonæ fidei, sive stricti juris, text. est in l. impossibilis, ff. de verb. obligat. text. in l. non solum, ff. de action. & obligat. text. in l. certi conditio, §. quoniam, versic. item quart potest, ff. si cert. pet. text. in §. si impossibilis, Inst. de inst. stipulat. Et omittis n. alius, illa est verior, & communior ratio, favor ultimæ voluntatis, argumento text. in regula in testamenti, de regni. jur. in 6. Et in tantum prædicta doctrina, & conclusio est vera, ut ex tali contractu nulla oriatur actio, neque obligatio, text. est in l. impossibilium, ff. de reg. jur. Ex quo inferretur, quod ei non potest accedere fidejussor, text. in leg. sub impossibili, ff. de fidejuss.

Item adde, quod talis conditio impossibilis vitiat etiam liberationem, Gloss. est singularis & unica in l. cum donationis, C. de transact. in gloss. fin. in medio, quam ibi summè notant & commendant Doctores, & reputat singularem Angel. in d. l. impossibilis, de verb. oblig. reputat etiam singularem, Joan. de Imol. in l. ille autem instituit, ff. de hered. inst. in fin. & reputat unicam Bill. in Margarita sua, in parte liberatio, versic. 4. Item etiam talis conditio impossibilis vitiat sententiam, quia potius equiparatur contractui, quam ultimæ voluntati, cum in judiciis quasi contrahatur per partes, ut in l. 3. §. idem scribit, ff. de pecul. & in expressa ita tenet Joan. de Imol. in l. 1. ff. de verb. oblig. Nec prædictis obstat text. in quo plures liberati in nostro regno sunt decepti, & decipi possunt, in l. 17. tit. 1. 5. partia. quæ probat in exemplo, quod imò conditio impossibilis tollitur, & vitiat, & contractus valet, & tenet: quia dicit: Si traxeris con el dedo en el cielo luego vale, Quia respondeo, quod illa littera est corrupta, & loquitur conditione negativa necessaria. quæ statim facit valere contractum, & sic deficit, ibi, non, & debet dicere: Si non traxeris, & sic reperitur in libris de manu.

Item adde, quod prædicta debeant intelligi in conditionibus affirmativis, & resolutivè respondeo, quod casuales, vel mixtæ, potest impleri in vita testatoris, & post mortem ejus. Imò, quod magis est, si tempore testamenti jam erat impleta, sufficit, & dispositionem purificat, & operatur effectum suum. Quod intellige, quando testator ignorabat implementum ejus, secus vero, si sciebat: quia noviter debet impleri post mortem. Potestativa vero indistinctè debet impleri post mortem, & non in vita testatoris: textus est notabilis in l. 2. ff. de conditio la primæ, §. qui cum l. sequens, eod. tit. & utrobique Gloss. ordinaria, Barr. & communiter Doctores, cujus ratio est, quia

Conditio impossibilis.

Partitio litterarum contractu.

68.
Conditio quo tempore debet impleri.

quia in casuali tantum consideratur esse. Et usus, non vero persona, tempus, modus nec forma: In potestativa vero, cum ab honorato dependeat, consideratur eius persona, & factum ab eo explicandum tempus, modus, & forma. Quæ omnia regulariter censentur commissa, & verificanda post mortem, cum illud tempus conferatur cum tota dispositione testamenti ut in l. 1. ff. de testam. Et licet nullus Doctor antiquorum istam rationem tam clarè, vel expressè ponat: eam rationem ponit Socin. in d. l. 2. ff. de condit. & demonstrat. idem Socin. in leg. si jam facta, eodem titulo. Illud tamen, quod dixi de conditione potestativa, intellige in conditione reiterabili, ut dandi, faciendi similibus, secus vero in non reiterabili, ut manumittendi servum, quia sufficit, quod invita testatoris sit adimpleta, text. est in l. que sub conditione. §. quotiens, ff. de condit. instit. & ibi communiter Doctor. Cujus ratio est, quia si impleta, postea censetur impossibilis & tanquam impossibilis tollitur de medio, & non spectatur ejus implementum, & remanet dispositio pura, & verificata, argumento text. in l. obtinuit, ff. de condit. & demonstrat. cum similib.

69

Item adde, quod legatum uni relictum, & postea simpliciter ad alium translatum, videtur sub eadem conditione casuali, vel potestativa, ad alium translatum, nisi personæ cohareat, textus est in l. legatum sub conditione, ff. de adimen. legat. text. in l. legatum sub conditione ff. de condit. & demonstrat. Quod intellige, quando in eodem testamento, vel codicillis sit translatio, secus, si in alio diverso testamento, per quod revocatur primam, secundum Paul. & Doctor. ibi: Item intellige, quando legatum transferatur in aliam diversam personam: secus vero est, si fiat in eandem personam, quia tunc non censetur repetita conditio, dies, nec onus, textus in leg. si tibi, ff. de adimen. legat. & ibi communiter Doctores, ne translatio sit superflua.

70 Legatum sub modo.

Item quare dixi, quod legatum sit sub modo, & illud est, quando testator legat Titio certam quantitatem, vel rem, ut aliquid det, vel faciat. Cujus virtus & effectus est, ut legatarius non possit illud petere, nisi præstita cautione de modo implendo, textus est capitalis & expressus in l. quibus diebus, §. Termillius, ff. de condit. & demonstrat. & ibi Gloss. ordinaria, Bart. & communiter Doctores, textus in l. 1. & per totum, C. de his que sub modo, textus in l. 1. §. longè, Instit. de legat. & distincti potest sic: Modus est moderatio quardam, dispositioni adjuncta, cum qui honoratur, aggregans in tempus dispositionis perfectæ: ita Bart. in d. §. Termillius, 2. column. & ibi communiter Doctores. Et in tantum hoc est verum, ut procedat, etiam si testator adjiciat conditionem in modo, & dicat: lego Titio centum sub conditione, ut hoc det, vel faciat: quia similiter erit modus, & non conditio: quia attenditur mens, & voluntas disponentis, potius quam verba: ita probat textus in l. Media, ff. de manumiss. testam. textus in l. 2. in fin. ff. de donat. & tenet Bart. in d. §. Termillius, 3. column. num. 3. Unum tamen est, quod si testator voluit expressè, vel tacitè, quod antea impletur modus, quam legatum paratur, debet ejus voluntas servari: ita tenet Bart. & communiter Doctores.

Item adde, quod legatum, sub modo relictum, transmittitur ad hæredes. Et sicut legatarius potest consequi legatum, modo adimplendo: ita ejus hæres, ita probat textus in l. a testatore, ff. de condit. & demonstrat. & ibi tenet Gloss. ordinaria, Bart. & communiter Doctores, textus in l. si post diem, versic. isdem, quando dies leg. eod. & ibi Gloss. ordinaria, & communiter Doctores: textus in l. unica, §. ne autem, C. de caduc. tollen. & ibi Bald. & communiter Doctores, & tenet Bart. in d. §. Termillius, 3. col. num. 12. & ibi Paul. Imol. & communiter Doctores. Imò etiam transmittit ante cautionem præstitam de modo implendo, secundum eos. Nec obstat, quod modus resolvitur in illam conditionem (si satisfecerit) vel saltem continet illam, ut d. §. Termillius, quia est conditio tacita, & intrinseca, quæ non impedit transmissionem, ut in condit. & demonstrat. Item adde, quod secundo legatario, in quem modus debet impleri, competit actio contra primum gravatum, text. est in l. C. de his que sub modo, & ibi Gloss. ordinaria, & communiter Doctores, tenet etiam & declarat Paul. in d. §. Termillius, & ibi communiter Doctores.

71

Item adde, quod in dubio, quando talia verba profertur, quæ possunt importare conditionem, & modum, potius interpretantur ut importent conditionem, & non modum: ita probat textus in l. a testatore, ff. de condit. & demonstrat. quem ibi reputat singularem Imol. dicens, quod alibi melius non probatur.

73

Item adde, quod in dubio modus censetur impulsivus, & non finalis, quando respicit commodum legatarii, vel ejus in quem dispositio confertur, ut si legetur alicui quantitas, vel res, ut emat sibi fundum, quia licet non emat, consequitur legatum, textus est in l. Titio centum, ff. de condit. & demonstrat. quem summè notat & commendat ibi Bart. Albert. & communiter Doctores.

74 Legatum sub demonstratione.

Aliquando, & quindò dixi, quod legatum sit sub demonstratione, & illud est, quando testator ponit rei legatæ signum, locum, vel quantitatem, per quam cognoscatur. Quo casu, si demonstratio est vera, valet & tenet legatum, & illud reddit certum. Sed quare, si demonstratio est falsa, an vitiet & annullat legatum? In quo articulo magistraliter, & resolutivè dico, quod regulariter non vitiat legatum, nec dispositionem, ut si testator dicat: Lego Titio talem fundum, vel rem, quam à Seio emi, vel mihi donata est: nam licet talis res non sit emptæ, nec donata, sed alio quovis modo acquisita, valet, & tenet legatum. Similiter etiam si dicat: Lego Titio talem fundum, vel rem, quia gessit negotia mea, tale quid fecit, quia licet nec gessit nec fecit, debet legatum: text. est capitalis, & expressus in l. demonstratio falsa, ff. de conditionib. & demonstrat. textus in §. quod autem, ejusdem leg. & ibi Glossa ordinaria, Bart. Bald. & communiter Doctores, textus in l. falsa demonstrat. eodem tit. text. in l. quibus diebus, §. qui dorem, eod. tit. text. in l. quibus diebus, §. qui dorem, eod. tit. text. in l. cum tale, §. falsam, el. 1. & 2. eod. tit. text. in §. huic proxima, Instit. de legat. Cujus ratio est, quia illa demonstratio, & extrinseca solemnitas, non erat necessaria, ideo non debet vitari, quia solemnitas, quæ non requiritur

71 Legatum sub modo transmittitur ad hæredes.

requiritur in actu, si interveniat, & minus aptè, non vitiat actum, Gloss. est singularis in jure, §. mutis, alias, §. servus. Instit. de liberis, quam summè notat, & commendat Doctores ibi, & reputat singularem, Bald. in l. consentaneum, Cod. quom. & quoad. jud. column. pro qua text. in l. unica, versic. fin. C. de uxor. action. text. est in l. hæredes palam, in fin. ff. de testam. text. in leg. 1. §. fuit quatuor, in fin. ff. ad Trebellian. text. in leg. 1. §. fin. ff. de dot. preleg. & ibi Gloss. de verb. oblig. text. in l. cum tabula, ff. de bon. posses. secund. tabul. text. in l. si stipuliter, §. fin. de verb. oblig. text. in l. si vir uxoris, ff. de don. inter vir. & uxor. text. in Clement. sepe, versic. final. de verb. signific. Ex qua regula, & conclusione generica, inferitur vera & propria definitio demonstrationis, quæ talis est: Demonstratio est illud, quod respicit personam disponentem, vel ejus in quem confertur dispositio, vel ipsam rem, super qua disponitur, & in terminis ita tenet, & distincti Bart. in d. l. demonstratio falsa, ff. de condit. & demonstrat. 1. column. in media, & ibi communiter Doctores. Item inferitur, quod l. demonstratio falsa regulariter inducitur per relativum, inunctum verbo præteriti vel præteriti temporis, ut primum in exemplis superioribus & similibus: ita etiam tenet Bart. in d. l. demonstratio falsa, 2. column. & 2. quæst. & ibi communiter Doctores, præcipue Socin. 1. col. & notabiliter probat etiam text. in l. Stichum, qui meus erit ff. de leg. 1.

75 App.

Quod intellige, & extende, ut procedat & habeat locum, nedum quando legatum sit in re vel specie: verum etiam quando sit in pecunia, vel quantitate legata, Quia si legatur tanquam corpus, species, & constat de ea, valet & tenet legatum: alias vero, si de ea non constat, nec reperitur in rerum natura, vitiat, & annullat legatum, ut si testator dicat: Lego Titio quæ in tali area, vel loco habeo, & ibi non reperiantur, vitiat legatum, & non valet, quia de tali pecunia, ut species, & corpus, relicta non constat: textus est, qui sic debet intelligi in l. si servus, §. qui quinque, ff. de legat. 1. textus in l. 1. §. final. versic. sed estis dorem, ff. de dote præleg. & utrobique communiter Doctores, idem Bart. in d. l. demonstratio falsa, 2. col. 1. opposit. num. 4. Nec obstat textus in l. si sic, §. 1. ff. de leg. 1. textus in l. legavi, ff. de liberat. legat. textus in l. 2. & per totum, eod. de falsa causa adimend. legat. ubi habet, quod si testator legat Titio decem, quæ sibi debet, licet demonstratio sit falsa, quia nihil debeat, valet, & tenet legatum: quia respondeo, quod ibi non fuit legata quantitas, ut species, vel corpus coarctata ad certum locum, sed in genere. Quo casu licet falsa sit demonstratio, valet & tenet legatum: quia constat de corpore in suo genere. Quod tamen limita, & intellige singulariter, quando testator sciret, se non debere, & demonstrationem, quam adjecit, esse falsam: secus tamen, si ignoraret: quia tunc non debetur legatum, ita tenet originaliter Petrus in d. l. si sic, §. 1. ff. de legat. 1. & ibi sequitur, & commendat Alex. 3. column. num. 20. & ibi Jason. 2. col. num. 1. ubi hoc etiam extendit, modò verba sint de præterito, modò de præterito. Confirmatur, quia licet conditio impossibilis non vitiet, ut in l. obtinuit, cum similib. ff. de condit. & demonstrat. debet intelligi, Ant. Gomezii Variæ Resol. Tom. I.

quando fuit apposta à sciente, secus si ab ignorantante, & credente eam possibilem: quia tunc bene vitiat, text. est in l. servo manumisso ff. de condit. indeb. quem ad hoc notat, & reputat singularem communiter Doctores ibi. Confirmatur & secundò: quia quando creditor testator legat debitori, quod si debeat, non valet, nec tenet legatum, nec liberatio: quia non subest debitum, tamen si scienter legat, inducitur legatum, textus est singularis in jure, in l. fin. ff. de liberat. legat. quem ibi notat, & commendat communiter Doctores, & reputat in suo casu singularem Soc. in d. l. demonstratio falsa, 2. col. in fin. Sed salva pace Petri, & Alexandri, ego teno contrarium, imò, quod indistinctè, modò testator sciret se nihil debere, modo ignoraret. Primò, quia prædicta jura loquuntur generaliter, & distinctè: ergo generaliter, & distinctè debent intelligi, argumentò textus in l. 1. §. generaliter ff. de legat. præst. Secundò, quia Jurisconsultus in d. l. legavi, ff. de liberat. legat. profertur articulum istum, tanquam quotidianum, per cum plenius attingendum: ergo si prædicta distinctio scientiæ, vel ignorantie, esset vera, necessariò esset ponenda, & non omittitur à Jurisconsulto. Tertio facit textus in d. l. legavi, in fin. ubi dicit, quod istud legatum est simile legato speciei, cum falsa demonstratione, quæ non vitiat, sed in illo non adhibetur prædicta distinctio: ergo neque in isto legato, de quo loquimur, & in terminis ita tenet Socin. in demonstratio falsa, 2. column. versic. circa tertiam, quæ oppositio certè valde mihi placet, & ab eo non recederem in judicando, & consulendo. Item adde circa prædicta, quod si testator legat alicui edificium faciendum ad exemplum alterius edificii nominati, & illud non reperitur, non valet legatum: quia ubi deficit exemplar, debet deficere exemplatum; debet tamen fieri officio judicis, arbitrio boni viri, ut impleatur voluntas defuncti, textus est notabilis in l. testamento, la. 1. ff. de condit. & demonstrat. & ibi communiter Doctores.

Limita.

76

Sextò notabiliter, & singulariter dixi, quod aliquando legatum sit sub aliqua causa, & illud est quando testator dicit: Lego Titio centum, vel rem: quia hoc contingit, vel factum est. Quo casu valet & tenet legatum, licet causa non sit vera: quia expressio causæ non requiritur, cum fiat ex mera liberalitate: ergo si exprimitur & falsa, non vitiat legatum, textus est formalis, & expressus in l. demonstratio falsa, §. quod autem, ff. de condit. & demonstrat. & ibi Gloss. ordinaria Bart. & communiter Doctores. Quod intellige, & extende: modò testator sciat causam esse falsam, modò ignoret, secundum Paul. & Doctores ibi. Cujus definitio est causa, quid præteritum, vel instant, quo impellimur, ut ita disponamus, ita Bart. ibi, 1. column. quem sequuntur ceteri. Quod tamen limita, & intellige, ut procedat, & habeat locum, præterquam, si probetur per hæredes, quod testator aliter non esset relictarus, nisi causa sit vera, quia ope exceptionis vitiat legatum, textus est notabilis & expressus in l. cum tale, §. falsam, el. 1. ff. de condit. & demonstrat. Quod potest probari verè, vel presumptivè. Verè, si hoc dixisset testator, vel protestatus esset coram testibus. Presumptivè, quando causa respiceret constan-

Limita.

guintatem, vel affinitatem, ut si dicat: Lego Titio centum, vel rem, quia est frater vel consanguineus meus, ita probat textus notabilis in l. si pater, C. de hered. instituen. textus in l. nec apud, eadem tit. & ibi Doctores, tenet etiam Bart. in d. l. demonstratio falsa, §. quod autem, 3. column. 4. quest. ff. de condit. & demonstr.

77 Item quæro, an & quando conditio appo- sita in legato, vel dispositione, debeat adim- pleri in specifica forma, qua testator voluit, vel sufficiat æquipollenter? Et resolutivè res- pondet, quod debet adimpleri in eadem, & specifica forma, & non aliter, nec alio modo, etiam æquipollenti, textus est in l. qui heredi, ff. de condit. & demonstr. & ibi Gloss. ordinaria Bart. & communiter Doctores, textus in l. Mevius, eod. tit. & etiam Gloss. ordinaria, & communiter Doctores. Cujus ratio est quia conditio, & implementum ejus, consistit in facto, & ea quæ sunt facti coherant personæ, & non transeant ad alium, ita probant prædicta jura, & ibi tenent communiter Doctores. Quod intelligo in conditione voluntaria, secus verò in necessaria pro validitate actus, textus est in l. mater, C. de insti. & substi. & ibi communiter Doctores, textus in l. Gallus, §. & quid si tantum, ff. de liber. & posth. & ibi tenet & declarat magistraliter Bart. Pauli & Moderni. Et quo infero sequentia. Primò, quod si testator legavit alicui pecuniam, vel rem sub conditione (si dederit 10. servo al- terius) non sufficit dare domino, sed præcisè debet dari, & solvi servo: quia illius facti, & solutionis bene est capax, argumento textus in §. sed cum factum, Insti. de stipular. servor. Secundò infero, quod si testator legavit sub conditione dandi alicui incapaci, ut d. portato, fratri minori, vel simili, sufficit ei dari licet pecunia, vel res non fiat accipientis, textus est singularis & unicus in iure in d. l. Mevius, ff. de condit. & demonstr. quem ibi summè notat, & commendat Bart. & communiter Doctores, & reputat singularem & unicum Alberici. ibi, reputat etiam singularem & unicum Bald. in l. unic. §. si autem, C. de caduc. tollen. 1. column. Tertio infero, quod si testator legavit sub conditione dandi heredi, non sufficit dare fideicommissario, cui hereditas est restituta, nec hæres tenetur postea hujus- modi commissario restituere, text. est notabilis in d. l. cui heredi, §. cum hereditas, ff. de condit. & demonstr. & ibi Bart. & communiter Doctores. Quarto infero, quod si testator legat sub conditione dandi heredi, qui postea ven- didit hereditatem, non sufficit dari emptori: ita Bart. Bald. Alber. & communiter Doctores. in d. §. cum hereditas: licet ipse hæres postea teneatur restituere emptori, argumento text. in l. venditor, ff. de hereditate vel actione ven- dita. Quintò infero, quod si testator legavit sub conditione dandi heredi, potest, & debet ei dari, licet hereditas auferatur ab eo, tan- quam ab indigno; argumento textus in l. ex factis, §. Julianus, ff. de vulg. & pupillari, ita Bart. in d. §. cum hereditas. Sexto infero, quod si testator legavit sub conditione dandi heredi, & hæres est minor, & restituat ad- versus aditionem, quod ei potest, & debet dari & solvi per supradicta, licet postea teneatur resti- tuere vero heredi, ita Alber. Paul. & Imol. in d. §. cum hereditas, licet Bart. in hoc relin-

quat cogitandum. Ex quibus utiliter quæro; an conditio adimplenda in persona pupilli, vel adulti, debeat præcisè adimpleri in eorum persona, vel tutoris vel curatoris? In quo arti- culo resolutivè dico, quod quando est pupillus, vel adultus habens tutorem, vel curatorem, sufficit, & debet dari tutori, vel curatori: quia tatione administrationis representat eum. Si verò sit adultus, non habens curatorem, potest & debet impleri in ejus persona: quia rectè gerit omnia negotia sua; textus est qui istam sententiam & resolutionem probat in l. si fundus, ff. de condit. & demonstr. & ibi com- munitèr Doctores.

Item quæro, an, & quando testator possit heredi, vel legatario, apponere conditio- nem non nubendi? Et breviter & resolutivè dico, quod si talis conditio generaliter in- ducit viduitatem, respectu temporis, per- sonarum, & locorum, ut quod non nubat cum aliena persona, aliquo tempore, nec in aliquo loco, non valet, sed rejicitur tan- quam turpis, inhonesta, & contra bonos mores: si verò prædictam viduitatem gene- ralem non inducit, sed speciale, respectu personarum, temporis, vel loci, ut quod non nubat cum tali persona, vel cum tali genere personarum, vel in tali loco, valeat & teneat legatum, textus est capitalis, & expressus in l. sed si hoc, §. si. cum l. se- quenti, ff. de condit. & demonstr. cuius verba sunt: Cum ita legatum sit, si Titio non nup- serit, vel ita, si neque Titio, neque Scio, neque Mevio nupserit, & denique, si plures persona comprehensa fuerint: magis placuit cuilibet eorum, si nupserit, amissurum lega- tum: nec videri tali conditione viduitatem injunctam, cum alii cuilibet satis commodè possit nubere. Videamus & si ita legatum sit, si Titio nupserit, & quidem si honestè Titio possit nubere: dubium non erit, quia nisi parvus conditioni, excluditur à legato. Si verò indignus sit nuptiis ejus iste Titius, di- cendum, est posse eam beneficio legis cuilibet nubere. Quod enim Titio nubere jubetur, ceteris omnibus nubere prohibetur. Itaque si Titius indignus sit, tale est, quale si gene- raliter scriptum esset, si non nupserit, imò (si verum amamus) durior hæc conditio est, quam illa, si non nupserit; nam & ceteris omnibus nubere prohibetur: & Titio, cui in honestè nuptura sit, nubere jubetur: & ibi Glossa ordinaria, Bart. Paul. & communiter Doctores. Quod tamen hodie limita, & in- tellige, quando talis conditio apponitur mul- lieri virgini, secus tamen si vidua: quia in ea talis conditio valet, & tenet: textus est notabilis & expressus in authent. cui re- lictum, C. de insti. vendit. toll. & ibi Gloss. ordinaria, & communiter Doctores: textus in authent. de nupt. §. qua vero, coll. 4. & ibi communiter Doctores. Juxta quod, ta- men quæro, si mulier matrimonium con- traxit de presenti, tamen nondum est duc- ta ad domum, nec à marito carnaliter cognita, an rejiciatur ista conditio ei pos- ta? Et dico, p. quod sic, atenta vir- ginitate, & ratione prædictorum jurium: ita Bald. Angel. Paulus, Fulgos. Corn. Jas. in d. authent. cui relictum, quod reputo no- tabile.

Item adde, quod idem est si erat mulier cor- rupta,

rupta, nunquam tamen nupta, quia etiam ei tollitur & rejicitur ista conditio: ita tenet Ang. Paul. Fulgos. & communiter DD. per prædicta jura: licet Bald. teneat contrarium. Item ex prædictis dubitatur, si mulieri vel virgini adjectum conditio intranti religionem, an illa conditio rejiciatur: Et resolutivè respon- deo, quod non rejicitur: quia vita contempla- tiva majoris perfectionis est, quam vita acti- va, & matrimonialis: ideo ab ea non debent retrahi spe præmii: ita notat Paul. in d. authent. cui relictum, in fin. & ibi magis communiter DD. licet Bart. consulendo tenuerit contra- rium. Item adde, quod omnia prædicta ha- bent etiam locum in masculo, text. est in l. fin. C. de insti. vendit. Item adde, quod in casibus, in quibus tollitur conditio non nu- bendi, tollitur etiam tempus mortis, in quod relinquatur legatum, ut si testator dicat: Lego Titio centum in tempus mortis suæ, vel post mortem suam, nisi non nupserit: quia tali casu reji- citur conditio, & tempus, & legatarius potest con- trahere matrimonium, & statim consequi lega- tum, non tamen rejicitur ad minus tempus, textus est in l. cum tale, §. Mevius, de condit. & demonstr.

Item adde, quod si legatum, relictum alicui sub conditione ducendi aliquam uxorem: q. valet & tenet, quia spe præmii potest quis invitari ad matrimonium contrahendum. Sed si quis promittit pecuniam, si non ducat eam in uxorem, vel si non contrahat matrimonium cum tali, non valet; nec tenet obligatio, nec potest: quia matrimonium debet esse liberam à metu potestatis, text. est in l. Titio centum, §. Titio centum, el. 1. ff. de condit. & demonstr. & ibi communiter Doctores. Item adde, quod conditio, modus, vel dispositio posita in legato, vel fideicommissio, per quam libertas infringitur, non valet, ut si fiat alicui legatum, vel fideicommissum sub conditione, modo, vel causa standi, vel morandi perpetuo aliquo loco, textus est in l. Titio centum, §. Titio centum, el. 2. ff. de condit. & demonstr. & ibi Gloss. ordinaria, Bart. & communiter DD. facit etiam textus in l. 2. ff. de libero homine exhibendo, textus in l. cum scimus, C. de agricolis, & censitis, & colonis, lib. 1. text. in authent. ut nulli iudicam, §. quia ve- ro, coll. 9. de quo articulo vide notabiliter per Palaç. Rubios in sua repet. fol. 3.

Item quæro, an, & quando conditio appo- sita heredi instituto, vel legatario, transeat ad substitutos eorum: & breviter, & resolutivè dico, quod si apponitur heredi instituto, in distinctè non transeat ad substitutos, cujus- cumque nature sit conditio, textus est capitalis, & expressus in l. sub conditione, ff. de hered. instituen. cuius verba sunt: Sub conditione here- de instituto, si substituantur, nisi eandem con- ditionem repetamus, pure cum heredem substi- tutum esse intelligimus, & ibi notat & com- mendat Bartol. Bald. Angel. Imol. & commu- niter Doctores, Gloss. ordinaria in l. si quis insti- tuitur, §. 1. eod. tit. & ibi Doctores. Si verò apponitur legatario, tunc aut est conditio cas- ualis, & illa non transeat ad substitutum, nec videtur in persona ejus repetita, modò verificetur ex defectu conditionis, modò verificetur per mortem primi legatarii decedentis, pendente conditione: aut est conditio potestativa, vel mixta, & transeat ad substitutum conjunctum, vel illum, ad quem transeat legatum, quia respi- Ant. Gomezii Variar Resol. Tom. I.

cie onus & gravamen, quo potest & debet im- pleri per substitutum: ita probat textus in l. n. o. §. pro secundo C. de caduc. toll. cujus verba sunt. Pro Secundo verò ordine, in quo ea verentur, que in causam caducæ fieri contingebant, velut jus corrigentis, sancimus ea quæ ita venerint, simili quidem modo manere apud eos, à quibus sunt heredita, &c. & ibi communiter Doctores. Quod intellige, nisi conditio sit talis, quæ cohereat persone, & non possit per alium ad- impleri, ut ascendere capitulum, scientiam addiscere, uxorem ducere, & similia: quia tunc non transeat ad substitutum, nec intelligitur repetita, textus in l. unica, §. ne autem, C. de cad. toll. & in effectu istam sententiam & res- solutionem ponit Ioan. de Imol. in d. l. sub conditione, ff. de hered. instituen. d. 1. col. Paul. de Cast. in d. l. unica, §. pro secundo, C. de cad. toll. & ibi communiter Doctores, Bart. Paul. Imol. & alii Doctores in d. l. que conditio, ff. de condit. & demonstr.

Item quæro, an, & quando confessio de- bilit, facta in testamento, vel codicillis, probet, vel inducat legatum, vel fideicommissum: Et magistraliter, & resolutivè dico, quod non probat debitum: & sic non possit ille, in cujus favorem emanavit confessio, agere ex debito, & probare per illam confessionem, nisi verè, & realiter probaret per legitimas probationes publici instrumenti, vel testium, sed illa con- fessio resolvitur in legatum: & fideicommissum ex tacita mente defuncti, & potest peti tanquam legatum, & fideicommissum, textus est in leg. Lucius, in 2. §. quisquis, el. 2. ff. de legat. 2. cujus verba sunt: Quisquis mihi hæres erit, sciat me debere Demetrio parvo meo denaria tria, apud me deposita, qua proximo reddi, & solvi jubeo, qualicumque est, an, & si non deberentur, actio est: respondeo, si non deberentur, nul- lam quasi ex debito actionem esse, sed ex fidei- commissio, & ibi notat & commendat Glossa ora- dinaria, Bart. Alber. Bald. Imol. Cuman. & com- munitèr Doctores, textus in l. Lucius, §. Sempro- nia, ff. de legat. 2. textus in l. si se, §. 1. ff. de legat. 1. textus in l. eum scriptum, ff. de dori prelegata: text. in l. 2. §. per totum, C. de fals. caus. adject. legat. vel fideicommissio, textus in l. legavi, §. si. ff. de liber. leg. textus in l. Aurelius, §. si. eod. tit. textus in l. qui restam, ff. de probat. Quod tamen intellige, quando talis confessio habet secum annexam dispositionem solutionis, ut quia testator dixit: Constituo me debere Titio 10. quæ jubeo sibi solvi, ita probat textus in d. §. quisquis, ibi, quæ proximo reddi, & res solvi jubeo, per quem ita tenet, & declarat solus Paul. de Cast. ibi: Sed ista opinio non est vera, neque tenenda, quia jura superiora aperit probant contrarium.

Item etiam ratio manifesta confirmat, quia illa verba sunt executiva confessionis: ideo tota virtus stat, & attribuitur confessioni. Item etiam, quia sola confessio debiti recepti inducit liberationem: textus est formalis & ex- pressus in l. 1. C. de fals. caus. adject. legat. & similiter confessio facta inter vivos; textus nota- bilis in l. tale patrum, ff. de pact. Idem etiam confirmatur, quia legatum vel fideicommissum inducitur, & causatur ex sola tacita, & con- jecturata mente defuncti; textus est in l. cum proponatur, ff. de legat. 2. textus in l. n. o. §. ff. de leg. 3. textus in l. & in Epistola, C. de fidei- comm. facit etiam textus notabilis in l. ex hoc scriptura